



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dissertationes De Actibus Humanis

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum & Græcensis, 1716

De circumstantia quando.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39981

matrimonij, cum non impediatur generatio, estque raro periculum effusionis extra vas, & esto aliqualis fiat effusio non tamen sequitur situm hunc esse mortalem: matrix enim solet parum feminis retinere, nempe tantum, quantum sufficit ad generationem expulso reliquo.

Modus occidendi ut si occisum membratim discerpas, aut cor extrahas, adjicis speciem feritatis.

Fraus, & dolus in contractibus superaddit speciem injustitiae, irritaque contractum, quando est circa substantiam.

De Circumstantia quando.

647. **H**æc circumstantia indicat brevitatem, aut diurnitatem, aut qualitatem temporis sacri, vel non sacri. De diurnitate dictum est n. 945. de duratione, quam aliqui revocant ad circumstantiam quando.

Qualitas temporis constituit quædam peccata per se, & principaliter: ut die festo non audire missam, laborare serviliter, non jejunare certis diebus, non confiteri, & non communicare tempore statuto, celebrare divina tempore interdicti. Verum sic non est circumstantia actus peccaminosi sed per se primò constituit, ac transit in objectum, per tradita à num. 592. Unde etiam è contrario est actus specialiter honestus intuitu temporis sacri seu ob honorem mysterij eo die celebrati missæ interesse, & vicissim est actus specialiter oppositus Religioni actus malus exercitus animo inhonorandi Sacrum tempus.

Extra hos casus est communior vixque opinio, quod circumstantia temporis sacri etiam solemnissimi non ag-

gravet notabiliter malitiam actus mali etiam atrociis, minus mutat speciem contra aliquos. Ratio: quod ex natura ei nulla appareat specialis, aut notabilis irreverentia; disparitas enim magna est inter locum sacrum, & tempus factum, hoc enim ut pote successivum non est capax consecrationis, capax vero est locus.

Idcirco tempus per accidens dicitur sacram ratione mysterij, quod celebratur, aut sacrarum operationum, quæ exercentur.

Hinc plurimorum opinio, quod virtus carnis diebus solennioribus, confessionis & communionis commissaria contineant peculiarem malitiam saltem aggravantem, ac in confessione explicandum. Est magis pia, quam solida, alias sacerdotes celebrantes in mortuis tenerentur fateri circumstantiam temporis celebrationis, quod non subsistit. Lug. de Pœnit. D. 16. num. 523. contra aliquos.

Fatetur nihilominus, & cum eo Herinx D. 3. num. 76. quædam peccata exercita die Veneris sancto speciale continere irreverentiam contra Religionem, ut si quis ludos publicos prout fieri solet in Bachanalibus institueret, & si quis statim post Eucharistiam sumptam forniciantur: si enim Ecclesia agnoscit gravem irreverentiam erga Sacramentum Pœnitentiae in sollicitatione ad turpia facta proxime post confessionem, cur non erit etiam gravis irreverentia erga Eucharistiam? si quis immediatè post eam accedat ad concubinam: sicut autem non omnia mortalia sunt graviter contra locum sacrum, ita nec omnia contra sumptum Eucharistiam.

ARTI-